

incorrigibiles personas eos repperire contigerit quod tunc invocato ad hoc auxilio brachii secularis ad extirpacionem criminum et deformitatum omni diligentia exhibita procedant et nichilominus personas et excessus huiusmodi ac facti qualitatem cum suis circumstanciis quantocius suis litteris ad nos remittere nobisque referre studeant, ut nos omni oportuno remedio si opus fuerit occurramus. Volumus autem quod omni diligencia invigilent quod tria substancialia omnis religionis scilicet paupertas castitas et obedientia exactissime observentur et esus carnium nequaquam nec abbatii neque abbatisse aut monachis seu monialibus indulgeatur nisi eo modo quo regula sancti Benedicti permittit eundem, omnibus dispensacionibus in contrarium per quemcumque visitatorem concessis non obstantibus, quas omnes cum sint contra regulam presencium tenore irritas decernimus. Insuper volumus quod predicti nostri commissarii et visitatores nonnulla nostra ordinaciones et statuta, que ad dei honorem animarumque vestrarum salutem pro reformacionis introductione observari mandavimus, vobis omnibus et singulis supradictis insinuent ac publicent, et ubi vos per observanciam regularem gracie dei capaces esse viderint, plenarie indulgencie cum certa facili penitencia participes faciant, cum potestate vos omnes et singulos a quibuscumque excommunicacionis suspensionis et interdicti sentenciis censuris et penis ab homine vel a iure generaliter promulgatis sine tamen preiudicio iuris cuiuscumque absolvendi neconon interdictum occasione premissorum aut eciam per statuta provincialia vel synodalia aut ordinis vestri aut alias quovis modo in monasteria et ecclesias vestrarum latum relaxandi vosque ab omni irregularitatis inabilitatis et infamie macula, si qua premissis ligati divina celebrando vel eis ingerendo aut ordines suscipiendo vel alias qualitercumque contraxistis vel incursistis dispensandi et reabilitandi, vobisecum eciam, ut in monasteriis, ad que per symoniacam pravitatem ingressum fortassis habuistis, remanere possitis dataque et recepta monasteriis quibus data reperiuntur ad usus communis utilitatis remanere possint dicta auctoritate apostolica dispensandi ac si opus fuerit abbatibus et aliis presidentibus huiusmodi visitandis si alias hoc eorum merita exiguerint (!) in foro conscientie de novo providendi fructusque male perceptos misericorditer remittendi et desuper quitandi ac omnia alia et singula que ipsos agere in huiusmodi visitacione et exercere contigerit primo in scriptis diligenter redacta nobis examinanda et apostolice sedi deferenda cieis transmittere non postponant. Volumus eciam quod dicti nostri ymo sedis apostolice visitatores et nuncii et eorum quilibet gaudere valeat omni salvo conductu libertateque et privilegiis nobis a dicta sede et eciam regia maiestate quomodolibet concessis ita et taliter quod predicti visitatores et eorum quilibet in huiusmodi visitacionis officio ad quemcumque locum declinantes a nullo omnino hominum quacumque eciam prefulgeat dignitate auctoritate vel potestate invadi spoliari detineri incarcerari vel arrestari valeat aut possit eciam ratione quorumcumque debitorum vel quavis alia occasione ipsis in huiusmodi visitacionis officio constitutis.